



PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

DE RECTA LINGUAE LATINAE PRONUNTIATIONE.
(Jové).

AD AMICUM, (J. Llobera).

EPISTULARUM COMMERCIIUM.

ACADEMIAE CERVARIENSIS VIRI LITTERATI,
(H. Martija,

AD DIVUM JOHANNEM EVANGELISTAM (San-
tolius).

NOVA ET VETERA, (E. Jové)

CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).


PER ORBEM, (J. M.^a Jiménez.)

BIBLIOGRAPHIA, (A. Marqués), (J. Jiménez).

HORATII CARMEN 14 LIBRI I in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis



Ordinarii atque Superiorum permissu

Horatii carmen 14 libri I

HISPANE REDDITUM

O navis, referent in mare te novi
 Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
 Portum. Nonne vides ut
 Nudum remigio latus
 Et malus celeri sauctus Africo 5
 Antennaeque gemant, ac sine funibus
 Vix durare carinae
 Possint imperiosius
 Aequor? Non tibi sunt integra lintea;
 Non di, quos iterum pressa voces malo 10
 Quamvis Pontica pinus,
 Silvae filla nobilis,
 Jactes et genus et nomen inutile;
 Nil pictis timidus navita puppibus
 Fidit. Tu, nisi ventis 15
 Debes ludibrium, cave.
 Nuper sollicitum quae mihi taedium,
 Nunc desiderium curaque non levis,
 Interfusa nitentes
 Vites aequora Cycladas. 20

*¡Oh Navel ¿nuevamente
 en el mar te lanzarán las olas?
 ¿Qué haces? fuertemente
 asida al puerto queda.
 ¿No ves cuál despojado
 tienes de remos uno y otro lado?
 Y el mástil gime herido
 del Abrego ligero, heridas gimen
 las antenas ¿ni ha sido
 sin jarcias leño alguno
 apenas poderoso
 de contrastar el mar impetuoso?
 No tienes vela sana,
 ni dioses a quien llames en tu ayuda
 cuando la ola insana*

*de nuevo intente hundirte
 por más que noble pino
 en las selvas nacido del Euxino
 seas, y te glories
 de tu linaje y nombre; en vano, en vano
 ni ya en la popa fies
 pintada, cual no fia
 el tímido piloto;
 si no juguete quieres ser del Noto
 Guárdate tú que fuiste
 un día tedio para mi y zozobra
 y eres ahora triste
 deseo y cuita grave;
 huye de las corrientes
 que fluyen por las Cicladadas lucientes.*

2 Triplex est interpurgendi ratio: *fluctus. fluctus! fluctus?* Mihi tertia magis arridet; videtur enim vi praedita majore.

4, 6, 9. Displicet in versu 4 interrogatio Xaverii de Burgos desumpta a v. 9, displicet *gemunt* v. 6; ratio enim ab eo allata mihi non probatur, nam *videre* latius Latine patet quam ipsi videtur, neque *gemunt* est codd. optimorum.

13 Stallbaum in Bibl. Tauchnitziana ita de suo legit, *nomen: inutile!* «quo facto, inquit, reliqua per epescegesin conjunguntur». At interpunctio haec rejicienda est: primum quia codd. atque edd. contraria, epexegesis autem etiam vulgata lectione servatur, deinde quia *inutile* pro *frustra* non est, credo, Latium.

PALAESTRA LATINA



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

De recta linguae Latinae pronuntiatione

Quid de pronuntiatione Italica quam Romanam vocant.—Cantus liturgicus ansam dedit ut apud Gallos primum et Belgas fieret propagatio pronuntiationis Italicae quam, ne quorundam nationalem offenderent sensum, Romanam vocaverunt. Quantum deturpetur cantus planus Gallica pronuntiatione nemo est quin noverit. Inde est quod novatores pronuntiationis Latinae juxta Italicorum morem Summorum Pontificum Pii X, Benedicti XV, laudes nonnullas meruerunt, et vel maxime quia ea pronuntiandi ratione ad uniformitatem tendebant filiorum Ecclesiae una lingua laudantium Deum.⁽¹⁾ Ex qua SS. Pontificum manifestatione tales vires animosque sumpserunt, qui Italicam pronuntiationem propalabant, ut eam non solum valde commendatam, sed quasi jussam etiam omnibus Christi fidelibus praesentarent⁽²⁾; cumque in propagatione leviter adderent classicam ignotam remanere, ac proinde optatam uniformitatem non in alia quam in Italica pronuntiatione congruentius fieri posse, inde factum est ut non solum apud Gallos et Belgas, ubi praecipua erat instaurationis ratio in cantu Gregoriano, sed etiam apud nos in Catalaunos, ex monachis Monserratensibus manaret, qui eum cantum quasi proprium diligentissime promovent. Eo autem tempore florebat, ut cum maxime, renatus linguae Catalaunicae quem clerici ardentius fovebant ut nunc quoque fovent. Hoc fuit in causa ut ex seminariis pulsa penitus desideraretur, neque immerito,⁽³⁾ Hispanica Latinae linguae pronuntiatio. Ignota communiter tunc temporis apud illos classica pronuntiatione, ultro Italicam plerique juvenes clerici receperunt, atque in seminariis disci et adhiberi coepta est ab alumnis et praeceptoribus humaniorum litterarum ex decreto praesertim Reverendissimorum Praesulum totius Provinciae Ecclesiasticae Tar-

(1) *Acta Apost. Sed.* vol. IV, p. 577; etiam vol. VIII, p. 639. | (2) *Revue gregorienne*, sept.-octobr. ann. 1923, p. 166; sic articulus: *Si nous voulons être catholiques...*—(3) *Butlletí del Diccionari de la Llengua Catalana*, t. IV, p. 49-74; 99-101-104; etiam t. VI, p. 309 368.

raconensis m. Martio ann. 1923 promulgato, qui quidem voluntati Pontificis ultro obsecundare voluerunt. ⁽¹⁾ Nunc scimus in Americana aliqua seminaria etiam induci.

Quidquid nunc est de Italica linguae Latinae pronuntiatione, hoc puto lectoribus nostris non ignorandum: a) eam pronuntiationem non esse germane Latinam: b) praeter quam ad res liturgicas nunquam fuisse commendatam a Romano Pontifice, nedum jussam: c) extra Italiam in populis, hisque paucis, ubi propagata est, id factum esse tantum per clericos, laicos homines eam omnino neglexisse; clericos autem dumtaxat attingere potuisse ejus desiderium propter quandam reverentiam et religionem erga Summum Pontificem: d) apud Germanos illius pronuntiationis propagationem ansam quibusdam dedisse, sed inmerito, ut ignorantiae ecclesiasticos notarent, eosque sicut veteres faciebant protestantes, ultramontanos vocarent. Velim ne in parvis quidem hanc accusationem proolari.

Quid de vicibus pronuntiationis classicae.—Apud Hispanos adeo jam nota est hodieque classica linguae Latinae pronuntiatio ut in Institutis et Universitatibus una propemodum a discipulis expostuletur. Ne homines doctos fugeret, jam inde ab aliquot annis fecerunt et clarus canonicus ecclesiae Majoricensis Antonius Alcover ⁽²⁾ et Franciscus Coco ⁽³⁾, quorum uterque substantiales prelo regulas pervulgarunt. Nos etiam in columnis PALAESTRAE LATINAE, quamvis obiter, semel iterumque de ea locuti sumus.

Apud Gallos Societas Studiorum Latinorum quae multos annos in ea investiganda elaboravit, tandem communi fere membrorum consensu docere condixerunt in conlegiis pronuntiationem renovatam seu classicam, in qua omnes philologi et inter se et cum veteribus Latinis conveniunt, se continentes in regulis essentialibus et necessariis ad evolutionis phoneticae et morphologicae intellegentiam. Postremi libri manuales ad scholas destinati vel solam reformatam tradunt pronuntiationem vel eam cum usuali conjunctam; et, ut notat Goelzer, nullus examinador male audit candidatos reformatam pronuntiationem referentes. Programmata insuper officialia nihil de pronuntiatione sciscitantur, ut saltem libera professoribus in renovatas formas pateat via. Opus Domini Moissonet «La prononciation du latin» ⁽⁴⁾ ostendit abunde quam in partem accepta fuerit propagatio apud Gallos pronuntiationis Italicae. De ea omnino tacuerunt professores linguae Gallicae et veterum linguarum anno 1911 cum a Societate, ad quam pertinebant, inquisiti fuerunt quid de linguae Latinae pronuntia-

(1) *Boletín oficial Eclesiástico del Obispado de Vich*, t. 78, p. 143; *Vida Cristiana*, n.º 51 «*Il Santo Padre... fa voti che il lodevole esempio dell'Abbazia di Montserrat trovi avimque numerosi imitatori e faccia nascere in tuta la Cattolica Spagna, conforme ai suoi desideri, una santa emulazione nell' assecundare la oportuna riforma (della pronunzia romana del latino)*». Secretaria di Stato di Sua Santità. — Dal Vaticano 31 Julgo 1919. — P. C. Gasparri Rvmo. P. A. Marcet O. P. B.—(3) *Revue des Etudes latines*, an. 2.º, p. 20.

—(4) Pag. 69, 65, 76.

tionem sentirent. Eorum 126 pro classica sunt suffragati, 331 pro traditionali Gallica, votum in albo emiserunt 173, nullus pro Italica suum tulit suffragium.⁽¹⁾ Apud Germanos scimus ubique pronuntiationem classicam doctis hominibus esse notam atque a pluribus adhibitam. Neque id solum, sed etiam novimus Borussiae institutionis publicae administrum, ante aliquot annos, eam jussisse in tota ditone sua. Praeterea nulla est alia quae in optimis grammaticis Germanis Latinis propugnetur.⁽²⁾ Apud Anglos classica linguae Latinae pronuntiatio non solum recepta est officialiter in Universitatibus Oxfordsensi et Cambridgensi jam ab anno 1905, sed etiam a Societate Philologica Cambridgensi anno insequenti et a pervulgata Adsociatione Classicali quae ad Yancilandios usque dimanavit.⁽³⁾ Quae quidem instituta quantum in suo genere valeant tum in ipsa Anglia, cum in Civitatibus Confoederatis Nordicae Americae, facile quis conjiciat. In quodam articulo commentarii Eranos (1925 p. 35 et seqq.) M. Hammerström apud Soccos tendere doctos communiter testificatur ad unitatem pronuntiationis classicae secundum veritatem historicam.

Jam inde ab inito saeculo XVI viri humanissimi instaurationem classicae pronuntiationis expetiverunt, in idque suas contulerunt vires. Relicti sunt grammatici decidentis Latinitatis et medii aevi, atque oculi eorum in aetatum superiorum grammaticos diverterunt. Erasmus Roterodamus inter Germanos dialogum scripsit *De recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione*. Lipsius inter Batavos prelo dedit *De recta linguae Latinae pronuntiatione*. Carolus Estiennis, Gallus genere, bis in vulgus obtulit opusculum *De recta Latini sermonis pronuntiatione*. Ramus etiam Gallus hujus reformationis fuit verus apostolus, qui de ea loquitur in suis *Scholis Grammaticis*. Franciscus Sanctius Brocensis inter Hispanos ejusdem compendium lingua vernacula proposuit hoc titulo *Reglas para perfectamente leer y pronunciar el latín*.

Sed quispiam dixerit: cur illi viri clarissimi triumphum in ea pugna non reportarunt? Quia eo tempore multum insudandum fuit ut saltem restitueretur orthographia vera, quae penitus jacebat. Quantum autem impendendum fuit laboris in ea restituenda, tantum virium in restituenda pronuntiatione deperditum fuit, quae, quanquam haud parvi momenti, ad animam, ut ita dicam, linguae non videbatur pertinere. Cum vero tempus fuit jam longius progrediendi et pro pronuntiatione digladiandi, iterum Latinae litterae deciderunt apud omnes nationes, deque ea re cura ulterior nulla fere amplius fuit usque ad medium superius saeculum. — (sequar) EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) *Le Latin - Dix causeries - Marouzeau*, p. 69 et 70 — (2) *Lateinische Schulgrammatik - Landgraf-Leitschuh*, paragr. 3; *Lateinische Schulgrammatik - Müller*, Ausgabe Coven - *H. Fritzsche*, paragr. 1; *Lateinische Grammatik, Dr. H. Rubenhauer et Dr. T. Hoffmann*, paragr. 4. — (3) *Erradonea, Gramática Latina*, n. 700 in nota, terc. ed.

A D A M I C U M

UT LIBER A CURIS VITAM AGAT RURI TRANQUILLAM

*Sit modus tandem maris et viarum!
Rura te mecum mea, te beata
poscit haec sedes, retine carinae
turgida vela.*

*Temne sublimem sapienter aulam,
saepe quae ventis agitata iniquis
sternitur, nec non graviore casu
fulmine flagrat.*

*Vita per campos tibi praeter omnes
rideat, nobis ubi hiems benigna
verque fecundum segetis feracis
munera praebent.*

*Omnis hic clamor procul usque vanus:
hic neque horrebis pelagus profundum,
clangor armorum tibi nec soporem
auferet unquam.*

*Hic iuvat subter viridi jacere
populo: e clivis latices cadentes
obstrepunt lymphis et inire somnum
murmure suadent.*

*Nidulum linquens volucris loquacem
admonet laetam vel obire silvam
sive per gramen viridans fluentes
visere fontes.*

*Turturis gratus gemitus sub ulmo est,
rivus et molles trepidans per oras
aura et aspirans Zephirique flamen
aëra mulcens.*

*Hic tuis caris aderis frequenter
liber a curis laqueata circum
tectaque insomnes vigilant, Deumque
rite piabis.*

Josephus LLOBERA, S. J.

Epistularum Commercium

*Emmanuel Jové, C. M. F. Rdo. P. Ignatio Errandonea, S. J.
claro viro et compresbytero s. p. d.*



Jamdiu est cum ad te scribere volebam, sed neque argumentum succurrebat quo tanto viro, mihi que non satis noto, obstrepere auderem, neque ubi tandem terrarum commorareris, plane constabat. At ineunte aestate cum conlaborator noster Josephus Jiménez Roma huc advenisset, tecumque ibi amicissime locutum esse dixisset, idque demum de PALAESTRA LATINA, animum recepi, et eo maxime quod tu qui unum atque alterum dumtaxat fasciculum commentarii nostri legisses, omnes perlustrare velle ostenderis, eique insuper dexteram manum tuam adjicere.

Ut tibi igitur gratum facerem, totam fasciculorum adhuc editorum seriem ad te transmittere et simul in subnotatorum honorariorum indicem te addere jussi. Quod ut nuntiarem, grata quadam necessitate ad te has litteras mittere sum coactus; et rogo ut benigne accipias nunc atque in posterum fasciculorum seriem, qui utinam te digni aliquando fiant. Tu vero et auctoritate tua et litterarum laude lectores honestabis non modo redactores. Me tui studiosissimum atque amantissimum semper habebis. Vale.

Cervaria XIV Kal. Nov. anno MCMXXXIII.

*Ignatius Errandonea, S. J.
Rev. Patri et cl. viro Emm. Jové, C. M. F.*

Litteras tuas legi perlibenter, in iisque magnopere sum admiratus quod de me ita sentire videris, quemadmodum nec merui nec de me ipse cogitare umquam fuissem ausus. Id quidem tuam benevolentiam commendat, meam autem inopiam non mutat.

Ideo majorem etiam gratiam habeo, praesertim cum mittere volueris pulchram eam seriem PALAESTRAE LATINAE vestrae, quam semper amabam, nunc vero et lego et legam posthac, ea quae par est quaeque vestros nobilissimos labores decet, assiduitate et diligentia.

Multum vereor ut, aliis rebus vehementissime impeditus, scribere interdum, quemadmodum me invitas, possim. Et tamen, quam vellem! Sum enim tibi, vobis vestroque bellissimo operi addictissimus in Xto. Jesu, servus et amicus.

Roma 30-10-1933.

Academiae Cervariensis Viri Litterati

EMMANUELIS CABANYES CENTENARIA COMMEMORATIO

Non alienum videtur ab hoc commentario qui minime a litterarum nostrarum progressu procul abhorret. imo quid in litteris vel ediderimus vel amiserimus egregii referre gaudet, de illa quae vere dici potest *gloria summa Pieridum*, de clarissimo inquam poëta Em. Cabanyes disserere, ejusque memoriam laudibus prosequi, centesimo ab ejus obitu vertente anno. Universitas Cervariensis, *magna parens virum*, quae scientias et artes universas fovit aluitque, in cujus aulis perennem adepti sunt gloriam viri inlustres, Balmesius, Finestresius, Dovius, nomine etiam Emmanuelis Cabanyes honoratur, ejus ingenii poëtici lumine inlustrata. Hinc PALAESTRA LATINA dum vatis Horatiani memoriam recolit, praeconiis Universitatem prosequitur, tanti viri parentem et magistram.

Pauci quidem exstant, qui de Em. Cabanyes audierint, perpauci qui ejus opus poëticum attigerint, et tamen inter poëtas saeculi proxime elapsi non mediocrem tenet locum, «quem Roma et Athenae, dicente Menéndez Pelayo, in filium adoptassent». Cur tam injusta oblivio? Cur funereus lapis exuvias hominis custodiens, poëtae famam obscuravit? Nonne ipse vestigia secutus est Venusini vatis qui cecinit: *Usque ego postera crescam laude recens?* Egregius vir supra laudatus Menéndez Pelayo, ad supulcrum ubi *gloria numinis poëtae dormiebat* accessit, ut olim (liceat comparatio) Dei Filius ad Lazari monumentum; poëtaeque famam suscitavit. ⁽¹⁾ Jam tunc Vatis Horatiani nomen quasi flos marcescens provida manu rigatus virescit, a civibus suis perenni carmine celebratur; ⁽²⁾ neque animis excidet renovata memoria, neque ignis ante illius aras incensus extinguetur, quia *dignum laude virum Musa vetat mori* (Horatius).

Emmanuel Cabanyes ab ineunte aetate praestantissimum ingenium contulit ad poëtica. Praeter aliquas odas et epistulas ineditas ab eximio magistro Milà Fontanals conlectas, ⁽³⁾ Cabanyes immortale opus scripsit *Preludios de mi lira* in quibus Horatianam vim, facilitatem, venustatem aemulatur. Quid dulcius inveniri potest quam ode *A mi estrella?* Quid suavius majestateque plenius illa *La Misa nueva* quam ne Manzonius quidem dedignaretur? Nihil de *La independència de la poesia* quae *Odi profanum* proxime consequitur; nihil de altero Praeludio in quo poëta aurum insectatur, et in mentem revocat illud *o cives, cives, quaerenda est pecunia pri-*

(1) Horacio in España, p. 333-344 — (2) Costa y Llobera, A. Cabanyes. — (3) Compendio de Arte poética, p. 141 sg.

mum?...; nihil denique de calidis strophis *Al estío* referam, in quibus celebrem Horatii *Qualem ministrum...* vigore adaequat, calore superat; nec mirum, Hispani juvenis pectus bello Napoleonico inflammatum, altius sentit quam Romani epicurei Urbis voluptatibus assuefacti.

Nostrum poëtam vere pictorem dices, qui variis sibi coloribus assumptis, sapienter eos ministrat, ut res poscit, modo profundens, modo adumbrans, ita ut tabula diversis partibus exornata, spectantis animum moveat. Manent semperque manebunt suavissime illae imagines quas poëta artificio manu effinxit; placet semperque placebit magna illa colorum pulcritudo ac varietas, qua carmina mirum in modum distinguuntur, per quae Horatius ipse nostras aures adloqui videtur. At proh dolor! ut tantus poëta, agitante numine calescens, tam immature decesserit. Vigésimum quintum aetatis annum agebat cum Parca atrox stamina vitae rescidit juvenis poëtae, qui a Menéndez Pelayo *Andreae Chenier Catalauni* cognomine merito decoratur. Ejus tamen opus, *Praeludia* venustissima, comptissima imo et aliquando acerbissima, stabunt et vigebunt donec justitia animos alliciat, et pietas corda mortalium refovebit: ***Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.***

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Ad divum Johannem Evangelistam


*Sit qui rite canat te modo virginem,
Te scriptis celebrem dicat apostolum,
Jungat veridicis te quoque vatibus:
Christi te cano martyrem.
Diri testis eras funeris et comes
Votis cum Domino fixus eras cruci:
Hoc tandem licuit tunc tibi mutus
Respondere doloribus.
Pendens interea Christus ab arbore
Te matri miserae jam sine filio
Natum substituit: credere Virginem
Quam par est tibi virginil
Tali deposito quid pretiosius?
Mater vera Dei jam tua dicitur,
Natus jure pari dicere: mortui
Jacturam reparas Dei.
Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini.
Haec est certa fides fontibus e tuis
Quam divinitus hausimus.*

SANTOLIUS

NOVA ET VETERA

«NOVACULA IN COTEM»

Novacula culter ille acuta *acie*⁽¹⁾ et ad radendum apta, ita dicta videtur quia membra quae ea raduntur quodammodo novantur.



Novacula

Manubrio⁽²⁾ saepe osseo capitur in quo invenitur locus ubi complicata reconditur, ut manus laesionis effugiat periculum. Ea si in molle quidquam

inciderit, dissecat; si in cotem retunditur, neque potest incommodius cadere quam si in cotem incurrat, unde proverbium supra positum ortum est *novacula in cotem*, quod recte ad-



Tentipellium

commodatur in eum qui laedendi cupidus, tandem hominem nactus est, a quo vicissim laedatur, cum illi nocere non possit. Veteres quidem hoc proverbio eos monebant qui incidebant forte in res quas minime volebant. Ab hoc non ita multum abhorret illud Horatianum:



Machina tonsoria

Et fragili quaerens illidere dentem offendet solido... (Hor. II. Sat. 1, 77-78)

Cos⁽³⁾ dicitur lapis quo ferramenta acuuntur et levigantur. In proverbium abiit (Horat. Art. Poet., 304):

Fungar vice cotis acutum reddere quae ferrum valet, exors ipsa secandi; munus et officium nil scribens ipse docebo.



Radula

Plinius loquitur de cotibus aquariis, quae scilicet aqua aciem trahunt, et de oleariis quae nempe oleo indigent ut acuant, ex quibus est *novacula tonsoria*.



Forlex

Interdum *novaculae* acies satis non recidit, quin tamen necesse habeat ut acuetur, sed tantum ut temperetur. Tum opus est *tentipellio*⁽⁴⁾ quod ex *aluta*⁽⁵⁾ tensa solet constare et machinamento ferreo alu-

tam tendente, quod in *manubrio* seu *capulo*⁽⁶⁾ radicatur.




Cos

Nostra autem memoria novum inventum est radendi instrumentum, quod *radulam* vocabo. Quattuor distinguitur partibus capulo nempe, *pectine*, ⁽⁷⁾ *cissorio*, ⁽⁸⁾ *premullo*. Premulum quasi parvum prelum una cum capulo cochleato comprimit pectinem et cissorium. Pecten viam parat cissorio ne cutem laedat, dum pilos



Pecten

persequitur. Quae omnia instrumenta in *rasoria theca* curiose custodiuntur. Nec novacula nec radula suum opus apte perficient nisi prius faciem sapone ⁽⁹⁾ bullato praeparet *penicillus*. ⁽¹⁰⁾



Theca rasoria

Quamquam non ita crebro coma, ut barba, interdum etiam est caedenda. Ad hoc *strigili* et *pectine* parantur capilli, postea tonsoria machina reciduntur et forfice circum perpoliuntur. Postea tamen, ne capillorum reliquiae vestigi adhaereant *scopula* ⁽¹¹⁾



Cissorium



Scopula

everrantur.

En tibi habes barbae radendae atque comae tondendae rationem.



Penicillus



Strigilla

(1) Corte. (2-6) Mango. (3) Afiladora. (4) Pasador. (5) Badana. (7) Peine. (8) Cuchilla. (9) Jabón. (10) Brocha. (11) Cepillo.

EMMANUEL JOVÉ. C. M. F.

Ab Obtemperandum

Libentissime; esto.

Quisce penitus in me.

Ego negotium mihi sumo.

Quidquid habeo praesto tibi est.

*Si tibi ero necessarius me arcesso, nulla-
que molestia afficiaris.*

Tuis nutibus adero.

Vide núm. 28, p. 9.

CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA V⁽¹⁾

(ADNOTATIONES GRAMMATICAE RHETORICAE)

MEN. Tale tuum carmen nobis, divine poëta,

Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum

Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.

Nos tamen haec quaecumque modo tibi nostra vicissim 50

Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra;

Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

Tale tuum carmen... Menalcas, ut minime invidus poëta, laudat Mopsi junioris amici carmen, ut eum ad majora incendat. *Aequiparas*: i. e. aequas, aequae vales, qua significatione a Freund et Klotz neutrum verbum habetur, vi tamen transitivorum interdum donatur. *Fortunate puer*: Plurimi interpretes haec ver-

ba allegorice de Vergilio et Teocrito intellegunt; ego proprie interpretari ausim; quia verba *nunc eris* ad tempus praesens referuntur, ut sic se habeat sensus: «defuncto magistro (Daphni), tu (Mopse) ejus vices geres in canendo». *Nos tamen*: pluralis pro singulari, synecdoche.

MO. An quidquam nobis tali sit munere majus?

Et puer ipse fuit cantari dignus et illa

Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

Puer: saepe obcurrit haec vox non ad aetatem juvenilem, sed vel ad vigorem corporis, vel ad simplicitatem animi morumque innocentiam designandam, ut in Culice, 25: «Octavi venerande, meis

adlabere caeptis Sancte *puer*. *Cantari dignus*: i. e. qui cantaretur; poëtae inferioresque scriptores hoc adjectivum et alia similia (indignus, idoneus...) cum infinitivo solent adhibere.

MEN. Candidus insuetum miratur limen Olympi,

Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

Ergo alacres silvas et cetera rura voluptas

Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

Nec lupus insidias pecori nec retia cervis

60

Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.

Incipit cantus lyricus. Quotiens hoc pulcherrimum fragmentum perlego, facere non possum quin dicta Mopsi ad Menalcam raptum admiratione proferam: *Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?* Nec semel quidem Vergilius Venusini poëtae lyram pulsavit. Vide, ne plura commemorem, celebre illud Geor-

gic. *O fortunatos nimium...* (II, 458 sq.) ubi agricolarum felicitas describitur, quod non cedit Horatiano *Beatus ille qui procul* (Epod. II), et integrum Aeneidos librum IV, in quo poëta Mantuanus optima quaeque sive ex epico sive ex lyrico genere conlegisse videtur.

(1) Cf. fasc. sup. p. 22-23.

Candidus: hujus epitheti sensus est *lumine amictus, luce coruscans*; abs dubio non eundem sensum habet ac *candida Nais* (Ecl. II, 46). *Ergo alacres*: humillima quaeque sublimioribus conmixta, splendor scilicet Olympi gratiae pastorum simplicitati copulatus, lectoris

animum oblectat. *Silvae* in lexico Vergilii bucolico ea loca dicuntur ubi pascentur armenta; ideo *ante cetera rura* de apotheosi pastoris gaudent, *Tenet... meditantur*: haec verba metaphorice accepta hic magnam vim habent. (De Dryadibus et Pane cfr. Forcell.)

Ipsi laetitia voces ad sidera jactant

Intonsi montes: ipsae jam carmina rupes

Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille Menalca.

Ipsi laetitia... prosopopoeia et hyperbole. *Ipsi, ipsae...* transductio (cfr. Ecl. I, 38-39). Pronominum repetitio igorem o-

ratorium his versibus addit. *Deus, deus ille*: conduplicatio. Nemesianus, poeta saeculi III, hunc locum imitari contendit in Ecl. de morte Meliboei:

*Silvestris te nunc platanus, Meliboeae, susurrat,
Te pinus reboat, te quicquid carminis echo
Respondet silvae, te nostra armenta loquuntur.*

Hi versus nec simplicitate gaudent Vergiliana nec venustate. Cantor Daphnis rupes montesque loquentes inducit, quia echo vocem humanam simili sono repetit; at innaturale videtur armenta lo-

qui ad pastorem celebrandum. Et licet Vergilius in Georg. de morte Caesaris dixerit: *pecudesque locutae*, ad excitandum terrorem dixit, non vero pietatem.

Sis bonus o felixque tuis! En quatuor aras: 65

Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

Popula bina novo spumantia lacte quotannis

Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi,

Et multo in primis hilarans convivium Bacchus;

Ante focum, si frigus erit, si mesis in umbra 70

Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

Hemistichium *sis bonus o felixque tuis* plenum ingenuitatis est. Daphnis ad societatem deorum vocatus, pastorum amicus esse non desinit. *Felix* non modo de habente felicitatem dicitur, verum de his qui alios felices reddunt. (Cfr. Aen. I, 334). *Et multo in primis...* Hi versus suavi laetitia perfunduntur. Epithetum *hilarans* laetam bibentis faciem exprimit, dum demissum in crateras vi-

num contemplatur. *Bacchus* pro vino, metonimia; *frigus* pro hyeme, *messis* pro calore, metalepsis. *Novum nectar*: J. H. Voss in verbo *novum* adlusionem reperit ad hoc quod, decurrente anno L, vina exterarum gentium adhiberi caepta sunt Romae. Sed potius agitur, ut opinor, de vino recenti. Sic Horatius: «De patera *novum* Fundens liquorem». (Carm. I, 31, 2).

Cantabunt mihi Damoetas et Lictius Aegon;

Saltantes Saturos imitabitur Alpheisiboeus.

Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota

Reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros. 75

Dum juga montis aper, fluvius dum piscis amabit,

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolae facient: damnabis tu quoque votis.

80

Notetur in primis rithmus versus 73 *saltantes saturos... Et cum lustrabimus agros*: sacrificium innuit dictum *Ambarvale* quo solebant arva ambire et circuire cum ostia. Ea consuetudo usque ad saeculum IV viguit apud Gallos, ut liquet ex Severi Sulpicii Historia. *Dum juga montis...* periphraes apud poetas valde usitatae. *Damnabis tu quoque votis*: «Qui vota suscipit, postulat aliquid a deo etque aliquid promittit. Si

Deus promissa annuat, tunc vovens quasi damnatur et iudicio tenetur promissa exsolvere. Unde Deus dicitur *damnare votis vel voti*, cum postulata annuit, et sic adigit voventem ad exsolvenda promissa». (Ruaeus in h. l.). Ita Titus Livius: «deos deasque precabantur ut illis faustum iter felixque pugna esset, et damnarentur ipsi votorum quae pro iis suscepissent» (Dec. III, I. 7).

MO. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri
Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MEN. Hac te nos fragili donavimus ante cicuta;

85

Haec nos *Formosum Corydon ardebat Alexin*,
Haec eadem nos docuit *Cujum pecus? an Meliboei?*

MO. At tu sume pedum, quod cum me saepe rogaret
Non tulit Antigenes (et erat tum dignus amari)
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

90

Venientis sibilus austri: l. e. nascentis, crescentis. Pari modo Aen. V, 344: «gratior et pulcro *veniens* in corpore virtus». *Cicuta*: metaphorice accipitur pro fistula. *Haec nos*: Allusio ad secun-

dam et tertiam Ecl. quae ordine compositionis quintae praecesserunt. *Et erat tum dignus amari*: Cfr. adnotationem ad v. 54: «et puer ipse fuit *cantari dignus*.»

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Ad habendam et accipiendam gratiam

Benigne.

Gratias tibi ago.

Benignissime.

Multam tibi gratiam habeo.

Gratus in te animus aeternus erit.

Nihil tanti est.

Beneficiorum memor ero.

Caussae nihil est.

Gratias tibi refero.

Quod pro me fecisti nunquam non recordabor.

Vellem plura facere.

Mihi beneficium contulisti quod memoria numquam excidet.

Nae tu quidem affatim bonus es!

Nimiam tibi adfero molestiam.

Accipe, oro, a me gratissimi animi sensum.

Nescio quomodo tantum beneficium agnoscam.

Doleo equidem tibi eam attulisse molestiam.

Spes est quondam tibi beneficium rependere posse.

Magnopere gaudeo me tibi placere potuisse.

Tibi respondere sum coactus,

PER ORBEM

Archaeologica nuntia: Ostiae prope urbem inventum atque per Orbem universon vulgatum Fastrorum civitatis fragmentum lapidi incisum celebritatis maximae. Quae in eo continentur ad saec. post Christum alterum referuntur. Dnus. G. Calza cujus investigationibus debemus documentum, indefessus in interpretando laborat. Lapis in novem partes est divisus, 1, 46 x 0'57 m. attingit atque versus seu verborum lineas supra quinquaginta offert.

Susae etiam ubi Galli studiosissime fassionibus dant operam stylobates adparuit, epistolam Artabani III Pastorum Regum insculptam continens. Documentum ut D. Franciscus Cumont demonstrat magni quidem est pretii eo nempe quod unae Pastorum regum sunt litterae ad nos usque perductae. Inscriptio Graece, ut tunc mos erat, exarata est; stilus et lexicon documentis administrationis publicae primi saeculi respondent. Ex epistula deductiones historicae atque philologicae faciles orientur.

Certamina poetica. Ex triginta octo carminibus in certamine Hocuffriano acceptis praemium reportavit carmen «Ruris facies vespere» quod Dmum. Anacletum Trazki mantuanae Ecclesiae Canonicum auctorem agnoscit. In eo versibus heroicis (v. 131) aequoris campi formam sub vesperum depingit. Locrensis vero certaminis gloria nemini tributa fuit, magna tamen laude carmina Quirini Ficari, Josue Salatiello et Johannis Napoleone iudicata sunt.

Romani populi celsitudinis ostentatio. Italici ducis consilio ac decreto optimatum

coetus sancitur ad imperium Romanum et gloriam, altero ab Augusti nativitate millesimo anno properante, provehendam atque illustrandam. Ostentatio seu uti dicunt expositio Romani populi in Urbe mense septembri anni MCMXXXVIII, publici juris fiet.

Navigatio Budeana. Societas Budé more suo quintam mense Sept. adgressa est scientificam navigationem ad dies supra viginti protraham; quam ad hoc maxime ordinaverunt, ut Antiquorum instituta agendique ratio vel ab exiguarum facultatum sociis, omnibusque Graecae culturae amatoribus visu, uti dicunt, percipiatur, humanissimi viri Johannes Malye, Eugenius Albertini, Andreas Boulanger. Cursus navalis ea ratione erat constitutus: Sep. idus Sept. navigatio Massilia egrediebatur atque quarto idus Ithacam perveniebat; deinde iteratis cursibus Olympiam, Cretem, Rhodum, Samum, Ephesum, Mytelenem, Sporades et Cyclades in quibus inviserunt Skyros, Delum, Myconum et Syram civitates. Demum Athenarum, Corinthi, Daphnuntis, Elaeuntis atque Spartes monumenta, Graeci nominis est virtutis reliquias, mirari potuerunt. Die vero 29 Sept. post felicissimam navigationem ad ripas Massilienses remigrarunt.

Classici latini. Inter commoda praecipua ex Italicae institutionis mediae publica instauratione orta, ardor atque studium edendi classicorum opera discipulis aptata atque recensita; quae si primo, Laurentio Dalmaso sentiente, aliquantulum inconsulta prodierunt nunc vero adcurata et recte disposita. Jam

pridem in Palaestra Latina de nonnullis Italis editionibus locutus, nunc tantum de classicis Bonparad Florentiae typis mandatis atque de editionibus Alfredi Rondinella Neapoli vulgatis summatim, ut mea fert consuetudo, agam: Domus Bomparad, Dre. Januario Perrotta moderante, viro quidem juvene, scientia vero atque ingenio proveſto, haec quae sequuntur edidit volumina: Cornelii Nepotis de viris Inſtribus, curante Dno. A. Nosel; Phaedri Fabulae, C. Dno. A. Setti; Ovidii et Tibulli Carmina c. Morfpuergo; Sallustii opera c. Perrota; Catulli Carmina c. Campagna aliaque pauca.

Alfredus Rondinella Neapolitanus editor eadem diligentia eodemque exitu Latinorum Graecorumque scriptorum opera sedula adnotata edidit, quorum prope quindecim fasciculos modo jam venales habet. En praecipui auctores qui apud A. Rondinella operam suam navant: G. Ammendola, J. L. Magna, F. Galli, J. de Longis, S. Rossi, A. Olivieri.

Quandonam tandem et apud nos ardorem hunc ferventissimum conflari sentiemus?

J. M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

Barbastri, m. Oct. a MCMXXXIII.

Bibliographia

Cliquennios.—*Le Grec et le Latin.*— Librairie Ch. Poussielgue, rue Cassette, 15, Paris.

In actuariam Palaestrae Latinae hoc, quod lectoribus ultro praebemus, philologiae volumen pervenit, idque magnis plausibus anno jam 1909 lucem in scientiarum provincia videbat. Nonnullas quidem si recentioris scientiae notitias excipias, ea omnia in libro invenies grammaticalia cum Graeci tum Latini sermonis argumenta, quae adhuc apud peritos agitantur. Voluminis porro hujus auctor, inventor audire non ambit, sed purus putus rerum earum, quae ad studiosos linguarum Graecae et Latinae pertinent, redactor. Cui tamen, ut mecum senties, et perspicuitas in argumenti expositione et in redactione nitor attribuendus. Post accuratam plane, eamque subtilem, introductionem de classificatione et origine linguarum (III-XVI), duae amplae, quae librum constituunt, partes sequuntur, Altera nempe de Pho-

netica disserit, duabus autem distributa sectionibus: I—De notionibus generalibus (1-24); II—De phonematum mutationibus (31-90). Altera vero pars (93-307) de Morphologia est in tres sectiones divisa: De morphologia nominali (98-182), de morphologia pronominali (183-203), de morphologia verbali (204-296), quas accuratae appendices comitantur. Liber, si quid mei est iudicii, eis magno erit emolumento, qui Latini et Graeci sermonis elementarem notitiam habent, quique ampliorem minusque vagam eam habere optant.

H. Petitmangin.—*Exercices grecs illustrés sur la Morphologie.*—Librairie J. de Gigord, Rue Cassete, 15, Paris.

In dies numerosiores libri studiosis antiquae Classicitatis cuduntur, qui et sternant viam, et duces in ea capienda junioribus et magistris habeantur. Praesens autem Graecorum Exercitio-

rum accuratissimum volumen ab H. Petitmangin, professore clarissimo, elaboratum non modo utile, sed jucundum etiam et novum, cum argumentorum selectione. tum ejus modi primis addiscendis linguae Homeri et Demosthenis rudimentis dispositione, evadit.

Scopus scilicet auctoris est «rendre moins austère l'étude de la langue grecque», neque tamen difficultates, alias minime insuperabiles, hujus canori et uberrimi sermonis, aut obteguntur, aut eliminantur. Exercitia vero haec Morphologiae Graecae respondent «Grammaire grecque à l'usage des classes», a clarissimo E. Raçon elaboratae, quam quidem grammaticam et alludit saepius, et ipsius adamussim ordinem consecatur. Liber, 42 pagellis textus constans, et 60 lexicis, est ad alumnos primi et secundi linguae Graecae anni redactus, selectisque, atque iis numerosis, picturis decoratur. Maximo, igitur, opere laborem professorum imminuet anthologia praesens, quae uberrimam et selectam et methodicam exemplorum Graecorum copiam praebet, quaeque professorum quidem explicationes jucundas, et alumnorum Graecitatis elucubrationes dulces reddet.

Otto Schmied.—*Froehliches Latein.* — Oesterreichischer Bundesverlag, Wien et Leipzig, 1932.

En tibi duo sciti atque jucundi libelli, Latina et Germanica promiscue exarati lingua, quorum quidem alter centum et quinquaginta, alter vero quinquaginta et ducentis constat aenigmatis, eisque e prima et secunda parte «Libri Latini» cl. Gaarii Schuster desumptis ab Otto Schmied, in Latinitate clarissimo viro, iis praesertim erit libellus hoc utilis adolescentibus, qui animo res intricatas suo revolvere amant, quibusque arridet sermo picturis ingenium ad adjuvandum expressus atque figuris. Opus certo certius ad Latinam reddendam jucundam linguam studiosis, potissimum

vero junioribus, praestat; idque ea de causa Palaestrae lectoribus commendamus.

A. MARQUES, C. M. F.

S. A. Augustini.—*Textus Eucharistici Selecti* ed. Hugo Lang O. S. B. 1933, IV, 73 p. (Fasc. 35 Flor. Patr.).

Quanti sint momenti hujusmodi textuum selectiones, auctorum praesertim qui ut Sti. Augustini, mollem tantam librorum posteris reliquerint iis revera patebit, qui dissertationibus seu exercitiis scholaribus dant operam. Quod ad selectionem pertinet frustorum Sti. Augustini, de re Eucharistica praecipuorum, pluries desideraveram ipse egomet cum Romae in Angellico Collegio studiis theologicis vacabam. Nunc vero ea Dr. Lang optimo consilio atque fortuna edidit prolegominis et notis instruxit. Notatur tamen defectus indicis in quo synthetice ordinetur universa doctrina eucharistica Sti. Augustini hac illac per scripta dispersa; quem auctor defectum implicite vitare voluit, quod videtur, auctores in praefatione adducendo qui hac de re fusius agunt, uti **Ehrhard et Kirsch**, *Die Eucharistielehres des hl. Augustini*, Paderborn 1908; **Porthalié**, *Saint Augustin* in *Dict. de Théol. Cath.* ed. A. Vacant, aliique.

S. Alberti Magni, *Quaestionis de Bono* ed. H. Kuhle 1933, IX, 53 p. (Flor. Patr. f. 36).

Nunc primum in hoc fasciculo e codicibus eduntur quaestiones quae metaphysicam de bono doctrinam continent e *Summa de bono* Sti. Alberti Magni depromptae. Textus editionis in Codice Berolinensi saec. XIII fundatur, quo cum ceteri codd. conferuntur. Juvat hic summam quaestionum adferre in fasciculo contentarum: 1. Quid sit bonum. 2. Utrum omne bonum sit bonum bonitate una simplici. 3. Utrum summum bonum sit finitum vel infinitum. 4. Utrum bonum secundum communem

aliquam rationem dicatur de bono creato et increato. 5. Utrum bonum secundum praedicationem abstractam reflectatur super se. 6. Utrum bonum cum ente convertatur. 7. Utrum omne quod est in quantum est, bonum est. 8. Quid sit verum. 9. Utrum veritas sit aeterna. 10. Qualiter se habeat verum ad bonum et ad ens. Fasciculum philosophis et theologis commendamus, auctorique ex animo gratulamur.

Tertulliani.—*Apologeticum Rec. Jos. Martin*, 1933 IV, 176 p. (Flor. Patr. fas. 6).

Tertia jam Apologetici Tertulliani editio inter Floril. Patr. fasciculos orta est: prima et altera a clarissimo Rauschen confectae, tertia vero a Dr. Josepho Martin recensita, adnotata ac scientifica praefatione ornata. Apologeticum de se maxime commendatur, quia juxta Hieronymum (ep. 70; 5); «Apologeticus et contra gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam».

S. Cesarii Arel. Ep., Regula Sanctarum Virginum aliaque opuscula ad sanctimoniales. Rec. G. Morin, O. S. B.—Peter Hanstein Verlag, Bonn.

Ommes Florilegii fasciculi ad tria praecipua genera reduci possunt: aut enim quaestiones in eis theologicae evolvuntur, aut historicae aut asceticae. Quo in genere ascetico hoc de Cesarii opusculo continetur et una cum Pacomii regulis monasticis (fas. 16) et S. Benedicti regula, monasteriorum (f. 17) pristinam vitae religiosae disciplinam illustrent. Clarus auctor in conficiendo hoc fasciculo Monacensi (s. IX), Bambergensi (s. X), Borol. Phillip. (s. XIII) et Turonensi (s. XI) codicibus usus est. Textui regulae tria documenta subjunxit in codice Monacensi et Turonensi adnexa: Sanctissimi videlicet Papae Ormisdae dilectissimo fratri Cesarii de jure sepulturae servando. Opusculum tribus clauditur epistulis ad sanctimoniales

nomine Cesarii evulgatae. Quaestiones nonnullae quae de Sancti Cesarii regula agitantur, invenies in Revue Benedictine, 1932, pag. 5-20.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Vellejus Paterculus et Florus Historiae Romanae. Traduction nouvelle de P. Hainsselin et H. Watelet. Garnier 1932.

Hae versiones magna cura et diligentia elaboratae non parvum meritum conferunt editioni, quae ante oculos exhibet textum a paucis cognitum, et nihilominus historico et philologo utilissimum. Beatus Rhenanus primus edidit Vellejanum opus Basileae apud Frobenium, a. 1520, ex unico codice in Murbacensi bibliotheca tunc servato, nunc deperdito. Multi deinceps alii eidem rei non inutilem operam navarunt, prae ceteris vero optime de Vellejo meritis est Orellius, qui reperto in Basileensi bibliotheca apographo quodam codicis Murbacensis, multa huic in rem suam derivavit, multumque ad emendandum Velleji textum inserviit. Denique R. Ellis, vir doctissimus, qui litterarum Latinarum antecessor fuerat apud Oxonienses, Vellejum edidit initio currentis saeculi, quam editionem, additis posterioribus criticorum laboribus (Damsté, Mnémosyne 1905, Thomas, Memoires de l'Academie Royale de Belgique 1919), sequuntur interpretes. Desiderantur quae editionem Ellis illustrant, scil. variae lectiones ad calcem paginarum collectae. In textu Flori sequuntur optimam editionem Rosachii apud Teubner.

Maison d'Éditions Ad.

WESMAEL - CHARLIES (Soc. An.), NAMUR

A. Wouters, S. J.

Mots Croisés Latins

2 séries de 7 mots croisés

à l'usage de La classe de grammaire

Exercitationes Scholares

Diogenes philosophus. (Ann. IV, num. 28). — I Diogenes magni animi vir, qui dolium habitabat, ad paupertatem ab divitiis descivit, quas quidem sibi graves aestimaret. Quidam servus cui nomen Manes ab eo fugit, neque ut postea ad se reduceretur voluit Diogenes quia eum paenitebat quod absque Diogene Manes vivere posset et absque Mane Diogenes non posset. Quondam puerum cum vidisset manus vola viventem, potorium rupit dicens: O me fatuum qui supervacanea mecum adhuc habeo!

CONRADUS FITA, C. M. P.

Conlegii Barbastrensis alumnus.

II Diogenes philosophus tota Graecia celebris honores pro nihilo aestimavit et commoda. Derelicta fortuna vitam in dolio egit quod aurum argentumque non solum inutilia reputaret verum et hominibus perniciosas. Fugientem quondam servum, quem unum habebat, ad se revertere noluit quia eum pudebat servum sine Diogene vivere posse, Diogenem autem sine servo non posse. Celeberrimum est quod, puerum vola bibentem cum videret, vas fregerit, quod superfluum reputaret.

MICHAEL RAMOS, C. M. P.

Conlegii Barbastrensis alumnus.

Los pavos reales y el gallipavo. (Ann. IV, n. 28). — *Guárdate de buscar cosas superiores a ti.* Un gran gallipavo viendo que una turba de pavos reales eran contemplados y alabados por todos tanto por el color de sus plumas, como por el abanico de su cola, llevado de cierta envidia y soberbia corrió en medio de ellos haciendo ostentación de sus buenas prendas (*F. Francés*). Infla la piel, levanta las plumas cuanto puede y hasta extiende su mezuino abanico; bate el suelo con sus alas y a impulso de sus piés, empujando la cresta, encendida la cabeza y como respirando ira, avanza

lenta y majestuosamente (*Suárez*), Los pavos al principio se admiran pero luego lanzan por sus largos cuellos espantosos graznidos amonestando con invectivas al gallipavo; y persistiendo él largo rato, le atormentan a picotazos, le despojan de muchas plumas y cubierto de deshonra, le mandan a los suyos (*Labalsa*).

Gymnasii Barbastrensis alumnus.

Diogenes philosophus. (Ann. IV, num. 28). — Diogenes, vir animi magni (*), qui in dolio vivebat, divitias suas deseruit, eas enim onerosas reputabat. Unicus servus quem habebat, cui nomen erat Manes, discessit ab eo et postea noluit Diogenes ut ad suum famulatum rediret, quod diceret turpe esse Manetem vivere posse sine Diogene, neque Diogenem sine Manete. Quondam cum vidisset puerulum vola bibere, fregit vas quod ferebat, dicens: O me stultum qui adhuc habeo supervacanea!

(*) In gen. quia sermo est de indole describenda et non cordis, quia hic agitur de exponenda animi qualitate.

ALOYSIUS DE VILLASANTE

Conlegii Aranzazu alumnus.

II Diogenes philosophus, clarus in universa Graecia despexit honores et divitias. Quibus spreto, vitam in dolio exegit, existimabat enim aurum et argentum non solum esse vana, sed etiam noxia hominibus. Cum fugisset ab eo quondam unicus servus quem habebat, noluit reducere illum, quia eum paeniteret (*) quod servus posset agere vitam sine ipso et ipse non posset vivere sine servo. Hoc ejus factum est insigne quod cum vidisset quemdam puerum epotare vola, fregit vas quod secum ferebat eo quod superfluum consideraret.

(*) Quia hic mentem alienam non propriam aperit, ponitur in subjunctivo.

EMMANUEL A SUDUPE.

Conlegii Aranzazu alumnus.

Composiciones Vertendae

Por la lucha a la victoria

I. Ciro, rey de Persia (1), para excitar (2) el entusiasmo (3) de (sus) soldados, los fatigó un día entero (4) en talar (5) un bosque. Luego al día siguiente (6) les dió un opíparo (7) convite (8), y después de él les preguntó en cuál de las dos cosas (9) habían disfrutado más (10). Habiendo tenido por mejor (11) el convite, les dijo: Pues por aquello (12) hay que llegar a esto; ya que no podéis ser libres ni dichosos, si no venciereis a los Medos.

II. Para dar una lección práctica (13) a los soldados poco antes de un combate contra los Medos, Ciro, célebre rey de Persia, hizo que se cansasen (14) durante un día entero talando una selva. Al día siguiente les convidó a un espléndido convite, y cuando estuvieron plenamente satisfechos (15), les hizo esta pregunta: ¿Cuál de las dos cosas os ha

gustado más? Ellos respondieron con sinceridad que les había gustado más el convite. Está bien, añadió Ciro: pues no es posible (17) disfrutar de esto sin (18) pasar (19) por aquello: es decir nunca seréis libres ni dichosos sin vencer antes a los Medos.

Con esto cobraron grandes ánimos para el combate.

Notulae

(1) Vertes *de los persas*.—(2) concito-as...—(3) Animi-orum.—(4) Pones in acus. sine ulla praep.—(5) Excido-is. (6) Postridie.—(7) Liberalis-e.—(8) Epulae-arum.—(9) Uter-utra-utrum...—(10) congaudeo...—(11) Probo-as...—(12) Atqui in num. plur.—(13) Probatus-a-um, (14) Dic *los fatigó*.—(15) Satur-rarum.—(16) Dices *así les preguntó*.—(17) Fieri non potest ut...—(18) Quin....—(19) Subeo-is ire...

Hamaxostichos (1) et equi

Signina (2) in statione quiescit hamaxostichos,
Morans tantisper. Primus e quattuor equis
Vicini campi gramen depascentibus,
Ista vaporali audacter dicit machinae:
Quanto cun fastu quantaque adrogantia
Secas planitiem; curribus sequacibus
Superba valde, eoque ingenti (3) robore,
Quo (4) vile te metallum ignis trahit et vapor.
Mente animoque genus nostrum mire praeditum
Praeclara gessit; Achillis fortes copiae
Norunt, (5) et Cyrus et Alexandri milites,
Et Caesaris alta virtus. Per summos viros
Humanos mores nos intulimus barbaris.
Equorum laudes gentes omnes praedicant.
Respondet illa: Hoc aliud nunc (6) gentes juvat; (7)
Quod onus est vobis quattuor in annum integrum
Id ego ferre queo multo minus una die.
Avorum facta neminem extollant ita
Ut eos contemnat qui patriae sunt utiles.

Notulae

(1) Graeca vox ex ἄμαξα = *currus* et *πυργος* = *series*; nobis magis placet vox Latina *trahaculum* quasi habitaculum trahens simul et tractum.—(2) *Signinus-a-um* ex Signia oppido Latiali apud ferriviam *Roma-Neapolim*.—(3) Non *ingente* quia concordat cum nomine rei,

non cum ~~nomino~~ *personae*.—(4) Quo = *con el que abl. instrum.*—(5) *Norunt pro noverunt* quod praeteritum in praesens vertitur: *sábenlo*.—(6) *Hoy en día*.—(7) *Cum acus. agrada*.

Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.
Moderator

Typographia F. Camps Calmet. - Tarrega.